

Dissertatio inauguralis medica de infarctu pulmonum ... / [Martin Wilhelm Koch].

Contributors

Koch, Martin Wilhelm.
Luther, Lorenz Theophilus, 1677-
Universität Erfurt

Publication/Creation

Erfordiaae : Typis Joh. Christophori Heringii, [1731]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/m3w6vfqd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

28
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE INFARCTV PVLMONVM,

QVAM

AVSPICE SUPREMO NUMINE,
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO,

DN. PLACIDO,

REGALIS MONAST. SS. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI ORD. S. BENEDICTI
INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS ET IN FRANCKE-
RODA AD VVERRHAM DOMINO, S. FACVLT. THEOL. ASSESSORE
PRIMARIO, ETC.

EX DECRETO ET CONSENSV GRATIOSÆ FACVLTATIS
MEDICÆ IN PER-ANTIQVA ELECTORALI HIERANA,
SVB PRÆSIDIO

**DN. LAVRENTII THEOPHILI
LVTHER,**

MEDIC. DOCT. CHTMIÆ PROFESS. PVBL. FACVLTAT. MED. ASSESS. ORDIN.
ET CIVITAT. ERFORD. CONSVL. SENIOR.

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,
PRO GRADV DOCTORIS,
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILE-
GIIS LEGITIME ADIPISCENDIS,
PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTET,
AVTOR ET RESPONDENS

MARTINVS WILHELMVS KOCH,

Crosna - Silesius,

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE XXI. FEBRVARII A. R. S. M DCC XXXI.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.

VIRIS,

*PRÆNOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO*

DOMINO,

JO. ABRAHAMO
BEER,

PHILOS. ET MEDICINÆ DOCTORI,
PRACTICO BRIGENSIVM CELEBERRIMO,
FELICISSIMO;

NEC NON,
PLVRIMVM REVERENDO, AMPLIS-
SIMO CLARISSIMOQVE
DOMINO,
M. MARTINO
BEER,

PASTORI BOEMISCHDORFFIENSIVM
MERITISSIMO,
AVUNCULIS SUIS
FILIALI PIETATE COLENDIS,
DISSERTATIONEM HANC INAUGVRALEM,
GRATÆ MENTIS TESSERAM,
CVM VOTO OMNIGENÆ PROSPERITATIS
SVBMISSE

D. D. D.

AVTOR.



J. N. J.

DISSERTATIONIS INAUGVRALIS MEDICÆ
DE
INFARCTV PVLMONVM,
PRÆFAMEN.



Um animus sit, loco Speciminis
inauguralis, quædam de *Infarctu*
pulmonum in medium proferre,
non incongruum fore duco, si an-
te ipsam Thematidis tractationem
paucis in causas inquiram, quare
Pulmones præ aliis corporis no-

stri partibus morbosis afflictionibus magis sint obno-
xii. Tria autem hic sese potissimum nobis offerunt,
seorsim, breviter tamen recensenda: *Structura* nimi-
rum *pulmonum*, *situs* eorundem, atque *externa* vim iis-
dem facile inferentia. In ipsa quidem *structura* ejus-
que ad labem contrahendam aptitudine, *laxitas* hujus

visceris vitalis notabilis primum recensenda venit, quæ, sive propter hæreditariam dispositionem, sive aliam quamcunque causam major adhuc fuerit, tanto magis accusanda erit: deinde *tubulosa* attentionem sibi quandam vindicabit *substantia*, eò quod non tantum sat magna, verum & numerosissima infinitæ ferè capacitatis vascula, maximam fluidorum copiam vehentia parenchyma, quod vocant Veteres, pulmonum perreptent; denique eximius *glandularum* bronchia obsidentium numerus, in statu secundum naturam partim pro lubricatione, partim pro defensione ab injuriis externis, humorem seroso-mucosum secernentium, non prætereundus est, quippe quæ levi datâ causâ, v. g. transpiratione prohibitâ, &c. nimiam dicti humoris quantitatem secernunt, adeoque tussi, asthmati, aliisque pulmonum malis inducendis sunt aptissimæ. Alterum, quod circa frequentiam medii Ventris morborum notari meretur, est *situs pulmonum*, utrumque thoracis latus occupans, proximaque cordis fluidum sanguinis vitale, jugi exercitio, systaltico atque diastaltico motu propellentis, vicinitas. Jam, si æqua animi lance perpendamus, quanta vi ipse fortissimus cordis musculus muneri suo satisfactorius, sit præditus, quodque illa maxime in partibus sibi proximis atque contiguis vigeat; insuper quoque ea, quæ de laxitate pulmonum, itemque de vasculorum minimæ capacitatis insigni multitudine, nec non de sanguine copiosius ibidem affluente & transfluente adduximus, repetamus, liquido apparebit, quod perquam facilè in tali viscere stagnationes periculosæ, aut stases sanguinis exitiales oriantur. Neque vero ter-

tio

tio demum prætermittendas esse censeo *injurias* sat multas, quæ *externæ* vocantur, variisque modis pulmonum labefactant substantiam, quorsum præter ictus, plagas, &c. aër potissimum noxiis qualitatibus præditus, spectat. Aëris equidem fluidum, quanto gaudeat, eoque inevitabili usu, res in vulgus etiam nota est, sed temperatum esse debet, *vid. HOFFMANNI Dissert. de Aëris intemperie multorum malorum causa*; adeoque nec nimio frigore stringendo, nec nimio calore exsiccando, itemque relaxando nimis, multo minus peregrinis & vitæ nostræ plane infensis effluviis repletus, nocere debet. Plura sane miserorum oculis observantur exempla, quo præsertim Metallicularum gens spectat, qui ab aëre saturninis, arsenicalibus, mercurialibus, aliisque acrioribus vaporibus inquinato pulmonum sibi labem contraxerunt; (qua de re consultatur Excell. HOFFMANNI *Dissert. de Metallurgia morbifera*;) sed indicasse hæc jam sufficiat. Mittimus itaque reliquos eosque sat multos pulmonum morbos, atque in præsentī tractatione ad *Infarctum pulmonum*, Veteribus fere incognitum, ejusque indolem, causas & methodum medendi pervestigandas nos accingimus. Prius vero, quam ipsam rem aggrediamur, non possumus egregia *Illustr. STAHLII* Potentissimi Regis Borussiae Archiatri, de morbo nostro merita, cum primus fere de eo commentatus fuerit, digne satis admirari, ejusque Scripta commendare. Coeterum Summum imploramus Numen, ut conatus nostros qualescunque ad sui ipsius gloriam, proximique salutem exoptatissimam cedere jubeat!

CAPVT I.

*De Natura & Signis diagnosticis ac
Prognosticis Infarctus pulmonum.*

§. I.

DE Infarctu pulmonum acturi, statim in limine Dissertationis nostræ, de vocum Etymologia solliciti ut simus, opus non est, siquidem *infarctum* propriè consideratum esse adimpletionem rei alicujus certis limitibus circumscriptam vi quadam factam, nemo non intelliget. Ita PLINIVS: *Parietes*, (quos fornaces vocat) *circumdatis utrinque tabulis, infarciuntur verius, quam instruuntur.* Per Pulmones vero, maximum illud thoracis vitale viscus, ex vesiculosa & vasculosa potissimum substantia constructum, & præcipuum respirationis organon, intelligi, ne tyrones quidem Medicinæ latere arbitror.

§. II.

Duplicem pulmonum substantiam, vasculosam alteram, eamque cordi, alteram vesiculosam bronchiis continuam, indicavimus, quarum quamlibet, variis & diversis symptomatibus, morbi, probe tamen distinguendi, infestant. Ut itaque nos, in quonam infarctus pulmonum s. obstructio, Græce *ἐμφραξις*, consistat, nostram exponamus sententiam, vasculosi generis, sanguinis motui progressivo, ejusque attenuationi destinati, adfectionem morbosam esse dicimus, eamque ex oppletionem pectoris, a sanguinis plus minus spissi & copiosi impedito progressu & stagnatione in ipsis pulmonum numerosissimis vasculis, suam sumere originem, eaque propter respirationem brevem, frequentem & difficilem, non sine metu suffocationis, simul inferre, jure meritoque adseveramus. Neque vero nos latet lis illa, quam D. D. GAETKE in Dissert. inaugurali de Vena porta movit, dum plenariam vasorum sanguiferorum obstructionem in corpore vivo planè negavit. Dubitationem hanc, quam-

quamvis non faciamus nostram, (neque enim in pulmonum infarctu opus est plenariâ vasorum sanguiferorum obstructione, sed sufficit difficilior paulò sanguinis per pulmones circuitus atque stagnatio;) tamen illud paucis notamus, quod lubentissime laudati modo Auctoris sententiæ subscribamus, si illa ipsa de vasis sanguiferis majoribus cordique proximioribus interpretatur. Quemadmodum enim totius vitæ ratio in progressivo sanguinis motu indeque dependentibus se- & excretionibus rectè collocatur; ita hoc, propter obstructions sublato, mortem pressò pede sequi quilibet facile advertet; minime vero in hanc ibimus sententiam, si ad vasa corporis nostri minora & à Corde remotiora simul extendatur.

§. III.

Suppeditatâ sic morbi naturâ, facili nunc negotio ab aliis pectoris adfectibus, quibuscum convenientiam quandam alit, discerni poterit. *Asthma* certe iisdem fere incedit functionum læsionibus, atque ab artis Medicæ imperitioribus, non sine noxa, cum *infarctu pulmonum* malè confunditur; quamvis enim utriusque mali sedes, testante hoc respirationis læsione, plerumque delitescat in pulmonibus; minime tamen exinde unum eundemque morbum simpliciter dijudicari posse existimo. Ponamus modo in utroque morbo, & asthmate & infarctu pulmonum, aëris reciprocationem plus minus graviter lædi; sed consideremus etiam, quomodo ipsa hæc læsio contingat atque manifestetur. Videmus nimirum asthmate miserè vexatos, spiritum sive cum sibilo, sive cum stertore aut roncho laboriosè ducere, luculento satis indicio, aut humorem seroso-mucosum bronchiis inharere, eumque sive mobilem, sive immobilem; aut pulmones scirrhis indurationibus laborare; aut vesiculas pulmonales (quod à causis externis maximè fieri consuevit,) nimium crispari & spasticè constringi, atque sic facile diversitatem viriatæ respirationis in utroque adfectu perspiciemus, quod scilicet ab invicem differant & ratione sedis morbificæ, & cau-

causarum ac symptomatum, & consequenter etiam ratione methodi medendi.

§. IV.

Non negamus equidem facilem admodum esse transmutationem asthmatis in infarctum pulmonum & vice versa; sed quoniam hæc ex sequentibus clarius patefcent, nunc illud saltem notamus, quod ipsi etiam infarctus multum inter se discrepent. Ita in aliis ad suffocationis usque metum respirationem impeditam videmus; in aliis minus: in aliis sat fortes cordis palpitationes, morbos capitis, adfectus infimi ventris spasmodicos, in aliis hæcce minus deprehendimus: in aliis suffocationem, Hæmoptysin, Peripnevmoniam, exulcerationem pulmonum, scirrhosas eorundem indurationes, Vomicas, Asthmata, &c. observamus; in aliis vero felicem atque exoptatissimum habemus eventum. Quæ, cum ita sint, facile erit, ex signis mox recensendis atque sequentibus, judicare, num infarctus pulmonum fonticum malum sit, nec ne; an symptomatice infestet, an idiopathice, & cuinam potissimum causæ adpropriata sint opponenda remedia.

§. V.

Præcipuum & maxime metuendum, tam idiopathici quam symptomatici infarctus pulmonum signum est, aeris plus minus gravis interceptio; quemadmodum vero hujus multa & diversa datur ratio, ita, quamnam h. l. valeat explicare erit convenientissimum. Ut itaque, quæ nostra sit sententia, clarius patefcat atque secundum Philosophorum regulam, *opposita juxta se posita magis elucescant*, ipsum respirationis negotium è Physiologicis repetamus usibusque nostris accomodemus.

§. VI.

Aëris sub inspirationis & expirationis actu reciproca-tionem, *respirationem* vocamus, quæ, quamprimum homo in lucem editus fuit, ad extremum usque vitæ halitum constanter perdurat, nec sine notabili vitæ discrimine cessare potest. Duplicem in hac vitali actione observamus motum,

tum, alterum *inspiratorium*, alterum *expiratorium*, inque hoc pectus, ope musculorum intercostalium, diaphragmatis atque abdominis angustari; in illo vero partim ipsius aëris externi, partim dictorum adminiculorum ope, thoracem angustari videmus. Hæc, ut rite & secundum leges Naturæ fiant, aëre in justo elasticitatis atque puritatis gradu constituto, pulmonibus nulla labe infectis, pectorisque atque abdominis sanâ conformatione opus erit, quibus præsentibus, cæteris paribus, respiratio fit libera & ad vitam protrahendam aptissima.

§. VII.

Notanter addidi cæteris paribus, nam, salvis licet atque integris hisce ad spiritum ducendum requisitis, satis tamen ægram atque difficilem quandoque deprehendimus respirationem, cujus causam, si inquiremus, partim in vasis sanguineis, pulmonibus copiosissime intertextis, fartis atque obstructis, partim in nervorum, respirationi dicatarum partium, sarculis eam inveniemus. Tam amicabile respirationis atque circuli sanguinis est consortium, ut cessante unâ harum actionum vitalium, mox quoque altera destruat, aut labefactatâ unâ, altera simul in consensum trahatur, atque inde maxime petenda venit ratio *impeditæ respirationis*, in infarctu pulmonum: quoniam enim horum vesiculæ aëreæ retis fere in modum ab arteriosis & venosis alveis, & mirabilibus & copiosis ac minutissimis plexibus anfractibusque ambiuntur, nemo non facile colliger, hisce præter modum à sanguine, spisso imprimis, adimpletis, non posse aërem elasticum, etiam optimæ notæ & purissimum, ipsam vesiculosam substantiam sufficienter expandere & hinc necessario respirationem reddi anxiam atque laboriosam.

§. VIII.

Non minori symptomatum atrocitate adfliguntur, qui malâ constitutione nervorum, respirationis organis fluidum agilissimum concedentium, laborant. Ita nervis pa-

ris octavi s. vagi, influxum liquidi nervosi pulmonibus concedentibus male adfectis; item diaphragmaticis, è cervicalibus triplâ radice oriundis, paralyfi tentatis, magnam spirandi difficultatem, apoplecticis & paralyticis familiarem, oriri observamus: præterea vellicatos diaphragmatis nervos mox dilatationem thoracis excipere, nec non à violenta diaphragmatis contractione & thoracis dilatatione, aërem magnâ vi pulmones ingredi, strepituque factò singultum fieri, constanti probatur experientiâ; sed hæc ordinis gratia hic adduxisse sufficiant.

§. IX.

Quos spasmodicum, quod hypochondriacæ & hysteriæ passionis nomine effertur, malum identidem molestat, corporis habitus sunt obesi, vasa habent multa & exilia, succisque & sanguine pleni, sub ipsa spasmodorum vehementia & exacerbatione, non tantum ob insignem intestinorum atque ventriculi à flatibus distensionem, indeque impeditum diaphragmatis descensum, valde difficili tentantur respiratione; sed & facillime, regurgitante nimirum sanguine ad mediæ ventris partes, infarctum pulmonum incurrunt, quod tanto facilius eveniet, si ejusmodi ægotantes dispositionem jam quandam ad huncce morbum alant, id quod ex Cap. seq. clarius patefcet.

§. X.

Haud alienum ab instituto nostro erit, si paucis adhuc, clariorem lucem iis, quæ sequuntur adfusuri, usum infimul, quem respiratio habet incomparabilem, exponamus. Arteriam atque venam pulmonalem innumeris ramorum myriadibus per laxum pulmonum viscus distribui & vesicularum membranas reticulari forma circumdare, hinc inde jam monuimus; sed misera omnino mortalium esset conditio, nisi in hac pulmonum fabrica sanguini per minutissima & numerosissima pulmonum vascula in tantâ copia trajiciendo suppeditasset adminicula summus rerum architectus. Respiratio est, quæ continuo alternante

te in- & expiratione, mirum quantum promovet sanguinis circulum: siue enim inspirationem spectes, videbis, dilatato thorace expansisque collapsis antea pulmonum vesiculis aëreis, simul exporrigi innumeros vasorum sanguiferorum ramos, adeoque sanguinis per ipsos motum faciliorem reddi; siue expirationem consideres, animadvertes, angustatione thoracis, complicatis iterum aëreis receptaculis, instar spongiæ comprimi vasa sanguinea, adeoque fluidum in illis contentum sensim paulatimque è ramis minoribus ad majores, exque his demum ad ipsum ventriculum cordis sinistrum propelli.

§. XI.

Verum enim vero, neque in hoc solo persistit nusquam satis laudandus respirationis usus; quanquam enim minimè in eorum eamus sententiam, qui in aëre inspirato refrigerium quoddam sanguini æstuanti quarunt, ubi consentientes recentiores plerosque habemus, nempe HOFFMANNVM, SYLVIVM, MAVROCORDATVM, CHARLETONIVM, BORELLVM, SCHWAMMERDAMIVM, BOHNIVM, aliosque, (tantum enim abest, ut respiratio sanguinis calorem ad temperiem reducat, ut potius, frequentioribus vicibus repetita, æstum ejus intendat;) aut peculiarem sibi quandam aëris cum sanguine pulmones perlucens mixtionem mente concipiunt: tamen nequaquam illud sicco pede transire possumus, quod notabilem, ex arteriis ad pulmones allatus sanguis, alterationem subeat. Accuratiores observationibus anatomico-physiologicis constat, sanguinem per arteriam pulmonalem è dextro cordis thalamo ad sinistram propellendum, multo floridiorem, rubicundiorum atque fluidiorem in ipsis venularum pulmonalium propaginibus esse, eo, qui in arteriarum alveis continetur, cujus phænomeni explicatio omnium optime à respiratione liberiori desumitur, utpote quâ Massa Sanguinis in minimas partes dividitur, conquassatur atque comminuitur, ut heterogeneis admodum sanguinis moleculis, gravibus & levibus, solidis & fluidis intimè in-

ter se mixtis atque combinatis, circulus sanguinis per vasa corporis humani reliqua, cum insigni vitæ & sanitatis emolumento, tanto liberius promoveatur.

§. XII.

Possemus hic pluribus egregiam respirationis utilitatem, quam in secretionibus & excretionibus secundandis, in motu ventriculi & intestinorum peristaltico adjuvando, in facilitando chyli in vasa lactea ingressu, in progressu contentorum per intestina, in exclusione foetus & secundinarum ex utero, item in olfactu, loquela, liquidorum sorbitione præstat, efferre; sed, ne plane à scopo nostro aberremus supersedemus huic labori, & illud saltem monemus, quod, cum usus pateat respirationis amplissimus, multæ quoque & variæ, à respirationis læsione, aliarum proveniant functionum læsiones, symptomata atque morbi, uti id sequentia uberius demonstrabunt. Confer. insuper *Dissert. HOFFMANNI de usu respirationis in arte medica.*

§. XIII.

Exposito sic egregio *respirationis usu* & suppeditatis §. VII. & IX. rationibus, quomodo ejus in infarctu pulmonum contingat labefactatio, nunc restat, ut & *suffocationis* rationem reddamus, atque reliqua infarctus pulmonum signa ordine recenseamus. Ad suffocationis quidem naturam eo clarius perspiciendam apposite huc trahimus, quæ §. VII. de sororio quasi respirationis & circuli sanguinis vinculo, nec non §. X. de præclaro respirationis usu in facilitando sanguinis motu progressivo, itemque §. XI. de intimiori sanguinis, respirationis ope fiente mixtione, protulimus, ex quibus collectim sumtis distincte satis apparere arbitror, quod, æquilibrio inter fluida & solida sublato, non possit non vita demum cum respiratione perire, sive quod idem est, miserorum pectus à constanti novi sanguinis adpulsu suffocari.

§. XIV.

Lassitudinem præterea corporis insignem in infarctu pulmonum adfectis notamus, quæ partim tanquam effectus

etus, partim tanquam causa morbi sese manifestat: & hoc quidem in emaciatiss atque debilioribus; illud vero in robustioribus, quibus virium adhuc robur aliquod constat, observamus. Pulsus, ob respirationis frequentiam & nimiam sanguinis quantitatem, celer est atque plenus, inque mali exacerbatione, ob impeditum ejus progressum, viriumque nimium decrementum, languidus & inæqualis; in habituali vero malo nonnunquam intermittens, haud obscuro polyposarum, concretionum indicio, observatur. Hinc sub motu corporis cordis palpitantes sequuntur, vasa colli & capitis, propter sanguinis versus caput congestionem, turgida fiunt atque inflantur, indeque stupor capitis, vertigo & lacrymarum quandoque involuntarium profluvium oboriuntur.

§. XV.

Accedunt hisce, inprimis in hypochondriacis & hysteriis, hæmorrhoidum & mensium turbationibus obnoxiiis, pathemata varia in abdomine spastica, pulsus durior, cardialgia, alvus sicca, urina tenuis & pauca vasorum cum horroribus interjectis detumescencia, quæ cuncta non tanquam effectus, sed tanquam causa morbi considerata erunt: Spasmi enim in abdomine subortis, illa sanguinis portio, quæ secundum naturam per viscera ejus iter suum absolvere debet, urgetur ad alias nostri corporis partes, laxiores maxime atque molliores, quæ ad stagnationes aliaque mala concipienda sunt aptissima; sed de hoc plura in Cap. seq. ubi causarum seriem evolvemus.

§. XVI.

Ad *Prognosin* jam de infarctu pulmonum ritè formandam, nos convertimus, in qua ordinis gratia in *tres classes* ægrotos reducere non incongruum erit. Ad *primam* quidem quod attinet, collocamus in eam sat citò & perfectè cum sanitate in gratiam redeuntis, atque hos sub eorum nomine complectimur, qui viribus sive à præcedentibus morbis, sive à præsentis non sunt nimis fracti, qui respiratione quidem difficili & frequenti, sed non ad suffocatio-

nis usque metum adfliguntur, lassitudinem atque imbecillitatem præ aliis decumbentibus minorem experiuntur, quorumque pulmones adhuc robore suo quodammodo pollent, ut accedente eoque accommodato vitæ & victus regimine atque remediorum convenientium tam exteriorum quam interiorum, iustâ dosi, ordine & tempore adplicatorum usu, discussâ plenarie sanguinis stagnatione, optime convalescant.

§. XVII.

Alterâ classis eorum est, qui partim propter virium jacturam nimiam, partim propter alias accedentes causas, vim morbi sustinere non possunt, atque hi sensim paulatimque viribus decrescunt, languidiores tangentis manum attingunt pulsum ictus, qui successive in inæquales & intermittentes desinunt, vox difficulter profertur, respiratio angustior semper & laboriosior redditur, lacrymæ involuntariæ funduntur, anxietates præcordiorum augentur, tandemque, supervenientibus sudoribus frigidis, cum respiratione vita perit.

§. XVIII.

Tertiâ denique classis eos nobis sistit, qui notabili per totum morbi decursum respirationis difficultate oppressi in ancipiti versantur; hi enim, sive lecto adhuc affixi, sive evadentes jam, aliis gravioribus & valde chronicis interdum corripuntur morbis. Non raro accidit, ut decumbentes insigni horrore, subsequente aestu acuto atque continuo, tussi, dolore punctorio & gravativo pectoris, ad spinam usque dorsi se extendente, qui tussiendo augetur, infestentur, non obscuro peripnevmonia indicio, atque in his utique spes salutis admodum est dubia. Alii pari ratione horrore percutiuntur, succisque & sanguine pleni, extremis refrigeratis, sincerum sanguinem, floridum atque spumidum in notabili quantitate per os ejicientes, in hæmoptysin præcipitantur. Alii evadunt quidem, sed successu parum felici: tussicula enim sicca chronica, respiratio difficilis & anhelosa, dolor pectoris obtusus, vox rauca &

& clangosa, oris siccitas, pulsus celer & frequens, calor hecticus, non levem consumptionis phthisicæ metum incuriunt. Alii eâdem fere symptomatum multitudine aliquamdiu tentati, globulos sive lividos, sive cœruleos, purulentam materiam continentes, fortiori tussi tandem eijciunt, & de tuberculorum, sive nodorum scirrhosorum pulmones obsidentium præsentia, nos certiores reddunt. Alii, succulenti & obesi corporis habitus, continuam, superato pulmonum infarctu, respirationis cum stertore sororiæ difficultatem, præcordiorum anxietatem, vocis asperitatem vel raucedinem retinent inque asthma humidum prolabuntur; qui vero siccioris temperamenti sunt homines, profunde postmodum spiritum duxisse haustumque semel sub sonitu vel sibilo aërem diu satis retinuisse, atque siccum asthma incurrisse, observati fuerunt; alii denique sine evidenti causa, motu inprimis exercitato corpore, de præcordiorum anxietate & palpitationibus cordis conqueruntur, quorum inæqualis pulsus polyposæ concretionis suspicionem non immerito adauget. Ex his itaque recte nunc concludimus, multum omaino infarctum pulmonum valere ad alios morbos superinducendos, adeoque propterea caute, tam in prognosi, quam in cura esse procedendum, ne morti tradantur miseri, cum jam in portu constituti esse videantur.

CAPVT II.

De causis infarctus pulmonum, tam proximâ, quam remotis.

§. I.

CUM causas morborum tollere idem sit, quod morbos curare, jure meritoque & nos, prius quam ad curam descendamus, in iis indagandis & peruestigandis occupatos esse decet; verum, subit hic animum dubitatio,

bitatio, an scilicet ad morborum curationem adeo necessaria sit morbificarum causarum noticia?

§. II.

Paradoxon fortasse nonnullis videbitur; sed, si dicendum quod res est, toto fere die exempla comprobant, quod non raro morbi, quorum causæ aliquando exercitissimos latent, feliciter sanentur: & contra sæpius morbi nullâ ratione curam admittant, cum tamen causæ ipsorum vel digito demonstrari possint.

§. III.

Ad dubitationem hanc brevissimis componendam, sciendum ante omnia est, sapientissimum rerum conditorem benignissime voluisse, ut substantiæ à se creatæ atque hominum corpora, semet ipsa secundum inditam ipsis agendi potestatem, limitatam tamen, motibus imprimis progressivis, nec minus se- & excretoriis, qui etiam in morbis vigent, ab interitu vindicent. Hos, qui diligenter attendit, salutares à noxiis distinguit, sive quod idem est, Naturam optimam morborum medicatricem sequitur, motus nimios sedando, languidos excitando, irregulares in ordinem redigendo, causas morborum in minori mole activas easque occultas feliciter, ipsorum motuum beneficio, expugnabit. Vid. *Dissertat. HOFFMANNI, de Natura morborum medicatrice mechanica; it. de Natura & artis effectui in medendo.* Alia vero longe est ratio in causis morborum gravioribus & manifestis, quarum quidem cognitio ratione indicationis curatoria eo, quod nulla amplius ipsis cum remediis adplicandis intercedat proportio, exiguum utique habet usum &, nisi fortasse certam mortis prædictionem, aut symptomatum mitigationem exceperis, plane nullum.

§. IV.

Enim vero, hoc respectu minime solertem & curatam causarum morbificarum indagationem negligimus: Sunt enim, & non infrequentes, quæ & quantitate & qualitate infensâ & nimia omnem motuum eludunt efficaciam,

ciam, & tamen convenienti alterantium, evacuantium aliorumque adpropriatorum remediorum recto usu, feliciter ad temperiem reducuntur. Quilibet ergo facile animadvertet, quod harum dilucidatio magnam sibi in praxi vindicet utilitatem & necessitatem; & quoniam causam infarctus pulmonum ad hujus generis familiam omnino referimus, operæ pretium erit, eam non perfunctorie adducere.

§. V.

Pulsus esse in hoc morbo detentis frequentem, plenum, interdum languidum & inæqualem Cap. præced. jam §. XIV. respirationem valde difficilem, suffocationem, sine stertore tamen aut sibilo, minitantem ibid. §. III. commonstravimus; præterea multum valere respirationem liberiores in adjuvando sanguinis motu progressivo §. X. & XI. & vice versa circulum sanguinis minus impeditum symbolum suum ad respirationis libertatem conferre, §. VII. demonstravimus, ex quibus nunc concludimus, nullam subesse aliam causam hujus infarctus proximiores, quam stagnationem sanguinis plus minus spissi & copiosi in pulmonum numerosissimis vasculis sanguineis consistentem, id quod Cap. seq. methodus medendi & optatus exinde resultans effectus, uberius demonstrabunt.

§. VI.

Plura ad producendam hanc inque actum deducendam causam proximam, attentionem & considerationem medicam requirentia, concurrunt, inter quæ *Plethora* præ cæteris eminet. Neque verò nos latet, hanc ab aliis pro causa mali proxima, minus quidem recte venditari: quod si enim à nullis aliis mox recensendis hæc comitetur causis, vix ac ne vix quidem infarctum pulmonum, (cum aliàs omnes nimiam sanguinis copiam alentes infarctui pulmonum expositi essent,) suscitari posse, confidenter adserimus. Inter remotas vero & disponentes utique præcipuum locum damus plethoræ; siquidem constans observatio practica docet, sanguine & succis plenos, tempera-

menti sanguinei, diatâ lautâ & evchymâ gaudentes, evacuationes sanguinis artificiales negligentes, vel naturales suppressas habentes, imprimis ejusmodi malorum generibus, à stagnatione sanguinis oriundis, esse obnoxios.

§. VII.

Quemadmodum autem raro sola datur ejusmodi fucorum corporis nostri abundantia, quæ simul in blanda sua temperie persistat; ita ipsa etiam plethora varie & diversimodè, benignam sanguinis diathesin alterat atque pervertit: proportio enim, quæ ad actiones & reactiones requiritur æqualis, abinde inæqualis redditur, sanguinis motus fit debilior, fluxilitas ejus spissescit, se- & excretionum negotium turbatur, particula sanguinis heterogeneæ à crassi sua deflectunt & in excrementitias fatiscunt, atque sic multorum malorum largissimos fit proventus. Disponit vero quam maxime ad infarctum pulmonum, sanguinis spissitudo, quam à vita sedentaria, imprimis mutato vitæ genere ex laborioso in quietum, potus congrui & sufficientis neglectu, mœrore atque tristitia, acidorum itemque spirituum ardentium, nec non herbar Nicotianæ nimio abusu frequentissime oriri, compertum est.

§. VIII.

Tanto vero magis infarctus pulmonum suscitabitur, si plethora & spissitudo sanguinis incidant in ejusmodi subjecta, quæ variis ex causis pulmonum quâdam atoniâ laborant, eamque sive connatam, sive acquisitam magisque auctam habent. Spectant huc sacrarum rerum antistites, vid. ERNEST. HENRIC. WEDELII *Dissert. de morbis sonctionatorum*; & qui in vitæ genere multam vocem & frequentiores cantus exigente constituti sunt; neque ab eorum numero excludendi sunt, morbis variis antecedentibus pectoris, tussi, defluxionibus catarrhalibus, asthmate, &c. sive diu, sive iteratis vicibus vexati; ut eos, qui ab injuriis externis violentis, casu, contusione, &c. pulmonum quodam vitio laborant, non omitteremus.

§. IX.

§. IX.

Hypochondriacum atque hystericum malum facile infarctum pulmonum producere Cap. præced. jam §. IX. monuimus, ibidemque §. XV. ejus signa exhibuimus, nec errabimus, si his in causarum serie morbos quoscunque spasmodicos, ipsas etiam febres intermittentes &c. medicamenta validiora, spasmodicâ agendi virtute conspicua, ut emetica & purgantia fortiora, item martialia præpostere exhibita, ipsum quoque aërem frigidiorum, corpori & pectori incautius admissum, adjungamus: Harum enim omnium ea nocendi vis est atque efficacia, ut vel universali quasi spasmò totam fere humorum massam ad interiora, extremis frigore constrictis, urgeant; vel particularibus motibus strictoriis, stagnationibus sanguinis atque humorum, hinc inde ansam præbeant aptissimam.

§. X.

Atque hæ sunt præcipuæ infarctus pulmonum causæ, quarum diligens perveſtigatio & attenta consideratio medica, tam ad mali gravitatem cognoscendam, quam ad periculum prædicendum, & ad curam legitime instituentiam, utilitate utique gaudet egregiâ. Restat adhuc, ut quas §. XVIII. Cap. I. recensuimus ægri tudines, quod ab infarctu pulmonum producantur, commonstrems, qua in re locupletem, Excell. D. HOFFMANNVM, testem adducamus, dum in *Medicinæ Systemat.* Tom. II. P. I. Cap. III. §. 7. ita scribit: *Nimia sanguinis ex spasmorum violentia congestio & decubitus in pulmonibus, hæmoptysin, pleuritidem, peripneumoniam, asthma sanguineum, spirationem valde anxiam & difficilem gignit.* Et ibid. §. 21. hæc extant: *Motus sanguinis valde retardatus in pulmonibus, tubercula, abscessus, respirationem difficilem, asthma, peripneumoniam, hæmoptysin atque exulcerationem gignit.* De polyporum vero generatione seq. §pho hisce fidem facit: *Impeditior sanguinis per vasa progressus, ad polyporum generationem multum contribuit. Nam à sanguine intra vasa subsistente ejus fluidæ partes perquam facile secedunt, unde fit.*

ut solidæ & crassiores procedente tempore concrecant & firmitus coagmententur.

§. XI.

Modum, quomodo quilibet horum morborum in hoc vel illo individuo inducatur, quod attinet, ultro fate-
mur, rectius eum accuratis observationibus clinicis,
quam quidem, & sæpe cerebrinis theoriis fundari: pro-
inde in genere tantum circa eorum genesin notamus,
quod stagnans in pulmonibus sanguis, sive infarctus pul-
monum, quandoque tanta in copia coacervetur, ut vascu-
la sanguinea tandem, capiendo eum imparia, disrumpantur,
unde hæmoptysis; quandoque in membranam pul-
mones ambientem, aut pleuram transferatur, unde peri-
pnevmonia & pleuritis; quandoque minus bene discutia-
tur inque capillaribus vasculis pulmonum induretur, unde
scirrhi & tubercula pulmonum, quæ tandem mole aucta
& suppurata, abscessus, vomicas, & hæc demum disruptæ,
exulcerationes pulmonum atque Phthisin inducunt lethala-
lem. *Conferri hac de re meretur Dissert. HOFFMANNI de
morbis ex aliis prodeuntibus.*

§. XII.

Plures adhuc infarctui pulmonum supervenire posse
morbos, non negamus, verum ne limites nostros trans-
grediamur, recensiti jam exempli loco sufficiant. Reli-
quos, qui in horum catalogo non inveniuntur, eorumque
cum infarctu pulmonum connexionem, solerti Medici cli-
nici observationi relinquimus, qui facile ex adductis &
subjectorum ad hunc vel illum morbum dispositione,
itemque symptomatum præsentia, eam inveniet, immi-
nentemque prædicere, & convenientibus excipere poterit
remediis.

CAPVT

CAPVT III.

De Methodo infarctui pulmonum medendi generali, cum cautelis.

§. I.

Optime sane antiquissimus Medicinæ parens, HIPPOCRATES, *Lib. de Flatibus*, artem salutarem describit, quod sit additio eorum, quæ deficiunt, & subtractio eorum, quæ abundant; cui sententiæ, ipsa refundatæ, cum & nos subscribamus, eo nunc medendi animum dirigi debere quilibet facile perspiciet, ut ad mediocritatem iterum & veram mensuram humores & motus superflui & noxii redigantur, quod omnium fiet optime, si, quoniam in abundantia & spissitudine sanguinis ejusque stagnatione in pulmonibus malum consistit, I. *nimia sanguinis copia imminuatur & impetus ejus derivetur*; II. *spissitudo ejusdem incidatur & diluatur*; III. *stagnatio resolvatur*, & IV. *demum atonia laborantes partes roborentur iterum novusque morbi insultus præcaveatur.*

§. II.

Ad primam itaque rite perficiendam indicationem V. S. omnium erit primum, quicquid etiam alii de thesauro vitæ non dilapidando contradicant; & largiter quidem sanguis, pro subjectorum tamen differentia, judicante ita Medico, modo ad sex, modo octo, quandoque etiam decem uncias, ipso in paroxysmo, urgente suffocatione, è brachio educendus erit. Vix credibile dictu, quantum inde miseri persentiant levamen præsentissimum, ut morte ante proximi, jam è faucibus ejus erepti videantur. Deinde clysteres subordinandi sunt emollientes & carminativi, quodsi nimirum spasmodum adsit vehementia; aut paulo acriores, instante nimirum suffocatione, tam ad spasmos

demulcendos, quam ad sanguinis versus inferiora fluxum invitandum, quo nomine etiam pediluvia, modo aegrotorum nimia debilitas ea non interdicat, commendari merentur.

§. III.

Neque vero rejicimus hodie tantopere receptam, sanguinis abundantiam ē pedum venis subtrahendi, consuetudinem, dummodo imminens suffocatio non subitanam ē partibus thoracis proximioribus, ejus ventilationem desideret: imminuitur enim non modo hac ratione molesta sanguinis quantitas, sed ad inferiora quoque ejus motus derivatur, quod iis, qui propter hæmorrhoidum vel mensium suppressionem, stagnationem in pulmonibus conceperunt, apprimè utile judicamus, imprimis, si salutare has excretionem provocantia legitime adhibeantur & subjungantur medicamenta, è quibus Pil. Becher. genainæ, & ad horum exemplar confecta Stahlianæ & Hoffmannianæ utramque faciunt paginam.

§. IV.

Alteri indicationi egregie satisfaciunt infusa theiformia, ex aqua puriori pluviali, vel ē fluviis post pluvias excepta atque ē speciebus incidentibus, resolventibus & discutientibus, uti Rad. Pimpinell. alb. Sassa-parill. Hba Veron. Hyssop. flor. Sambuc. Arnic. Sem. Anis. & similibus confecta, quæ per totum morbi decursum egregiam spondent utilitatem, imprimis si eorum virtus aliis medicamentis v. g. pulveribus ex Rad. Ari, Irid. Flor. Pimpin. alb. Oetro, & absynth. & aliquot gtt. ♂ Sassafr. adhuc magis intendatur.

§. V.

Hiscæ commode ad *tertiam indicationem* magis spectantia, resolventia nimirum tam interna quam externa, interponuntur. Ad priorum genus Essentias ē radicibus alexipharmacis, Imperat. Helen. Angel. Valerian. Carlin. &c. paratas, MRam simpl. Œtum Bezoard. Bussii &c. item

item diaphoretica fixiora, $\frac{1}{2}$ ium diaph. Ceruss. $\frac{1}{2}$ ii, Materia perlat. Crügn. aut, qui aliis palmam præripuisse visus fuit, Regulum $\frac{1}{2}$ ii medic. referimus, quæ partim per se adhibita, partim sô præced. laudatis addita, æqualem sanguinis distributionem facilitando, egregii usus sunt atque efficaciz. Inter externa vero, rejectis aliàs adplicari solitis Unguentis & Emplastris, præter fotum cum pannis calidis pectoris & frictiones moderatas, non habemus quod commendemus magis.

§. VI.

Denique *quarto*, ad partes à tono dejectas corroborandas, novumque mali insultum præscindendum MRam Stahlî tonicam, è TRa $\frac{1}{2}$ ii & $\frac{1}{2}$ C. C. ana compositam, etiam in paroxysmo, in frigidioris & torpidioris indolis hominibus, non sine fructu usurpatam fuisse novimus; quin imò, quod & alia balsamica, roborante virtute coruscantia, habito nimirum respectu individuali, conveniente dosi, ordine & tempore adplicata, eundem optatum effectum exserant, nulli dubitamus. Spectant huc inter alia maxime Cort. Chaccarill. Succin. Myrrha eaque electa, quam, præeunte Excell. HOFFMANNO, in substantia non sine ratione aliis inde pptis Essentiis nimis calidis præferimus. Insignis quoque hic usus est Veronica, cujus decoctum ad aliquod temporis spatium continuatum robustioribus egregie profuisse relatum habemus; qui vero sensibilibus sunt naturæ, iis singulo mane aquam Veron. vinosam, laudante Stahlio, ad aliquot cochlearia propinare, non erit inconsultum. Vid. Excell. HOFFMANNI Dissert. de Infuso Veronica præferendo herbæ Thee.

§. VII.

Accidit non rarò, ut in dispositis, levi data causa, malum recrudescat, quo in casu præter supra jam commemorata, Venæ sectionem, pediluvia, Pilul. bals. vernali tempore & autumnali vina medicata, omnibus fere indicationibus satisfaciencia, suppetias ferunt non contemnendas.

Spe-

Species huic scopo inservientes potissimum sunt: Rad. Enul. Cichor. Pimpin. alb. Herba Scord. Hyssop. Veronic. Summit. Millefol. Cent. min. Sem. Anis. fœnic. Cort. Chac-car. Cinnam. fol. Senn. Rhabarb. el. &c. è quibus, addito Frofato, ad meliorem extractionem, varia subjectis accommodata poterunt concinnari formula. Eadem quoque medicamenta commodum invenient locum, si quando à fluxu hæmorrhoidali, vel mensium suppressio, natales suos habeat morbus noster, nisi quod in priori casu hirudinum applicatio cum bona ægrorum venia simul instituta fuerit.

§. VIII.

Neque h. l. sicco pede prætereundum est magnum illud sanitatis recuperanda præsidium, ∇ æ scilicet minerales, quarum utique, maxime in chronicis passionibus debellandis, magna est vis atque efficacia. Quemadmodum vero propter ingredientium variam mixtionem atque diversitatem mixtionis, indeque dependentem levitatem, puritatem & bonitatem ∇ æ, valde differens est earum virtus: ita quoque intentioni nostræ viribus non adversas eligere, è re erit. Rejicimus itaque hic omnes largiori ochrâ & martiali calcarea substantia scatentes, quibus quidem etiam ad roborandas resolutas partes sua constat laus & gloria; quoniam vero uberior particularum ∇ strium ∇ æ commixtarum copia difficiliorem paulo per minora corporis nostri vascula reddit transitum; hinc temperatas & subtiles, limpidissimas, Ω tu, ut verbis Excell. HOFFMANNI in Dissert. de præcipuis Germaniæ fontibus medicatis, efferam, aëreo-æthereo, purissimoque Θ e. alcali imbutas, uti Wildungenses & Antonianas, aut quæ his substitui possunt, Schwalbacenses aut Spadanas seligimus.

§. IX.

Egregiam dignamque lectu haud ita pridem conscripsit Dissertationem Excell. HOFFMANNVS de fontis Spadani

dani & Schwalbacensis convenientia, in qua §. XXIX. hanc movit quaestionem: An, qui labe & vitio pulmonum affecti, phthiseos metu tenentur, uti possint hisce aquis temperatis? ad quæ idem gravis Auctor respondet: Si corrupta & exarsa est pulmonum substantia & insignis facta humorum effusio; si tota pulmonum substantia scirrhis obessa & vomicis; si polyposa, uti baud raro accidit, adsunt in pulmonum vasis concretiones; si etiam hydropis pectoris jam adest principium, potum Varum suadere utique foret damnosum. Verum, ubi phthiseos duntaxat est principium; sique ex hypochondriorum vitio nascitur, ac ob totum pulmonum labefactatum ingens seri ad pectus fit adfluxus, & cum tussi diuturna ac valida, quasi rheumatismus, neutiquam dissuadendus, sed potius præcipiendus est acidularum usus. His itaque & nos innixi, etiam ipso in paroxysmo generosum hocce remedium, modo ventriculus potum dilutum ferre non recuset, loco cerevisiæ suadere non ambigimus; nam, quod probe notandum, rarissime dantur cerevisiæ morbo convenientes, dum vel nimis consistentes & alimentosæ, humorum fluiditati resistunt, vel recentes flatulentias excitant, vel vetustæ spirituositate nimia, aut acore infestant, quæ cuncta incommoda ab ejusmodi Naturæ admodum amico, medicinali simul virtute imbuto potu, minus expectare licebit. Accedit, quod innocentissima hujus remedii operandi sit ratio; hinc extra paroxysmum usus ejus paulo largior c. fructu instituetur, etiam in debilibus: qui vero obesi sunt corporis habitus, viribus non adeo fracti, cruditates multas in primis viis fecundissimas spasmodum alunt genitrices, nec adeo fontico pulmonum vitio laborant, iis acidulæ Egranæ, aut quas hisce viribus adhuc superiores relatas habemus, Tannhausienses, sub debito vitæ, victus & medicamentorum regimine, omnium erunt convenientissimæ.

§. X.

Instituti nostri ratio non permittit, ut simul, quomodo prodeuntibus ex infarctu pulmonum morbis mederi
D *debeat*

debeat, tradamus; proinde paucis adhuc notamus, quod supra recensitorum remediorum, inprimis incidentium, usus sat diu quandoque sit continuandus, nec non resolventium his, pro re nata, sive addendorum, sive subjungendorum. *Conf. HOFFMANNI Dissert. de prudenti medicamentorum adplicatione in tempore; it. de prudenti medicamentorum continuatione.* Diligenter vero hic aureum illud HIPPOCRATIS effatum velim observari, quod nihil sit movendum, antequam ad motum materia reddita fuerit apta. Præterea summo studio voracitatem, motum corporis nimium, & quietem nimiam, potum spirituosum & inebriantem, acidorum & Nicotianæ abusum, mœrorem atque tristitiam agrotantibus interdiciamus; temperent quoque sibi iidem à vocum multitudine & cantuum impetuoso concentu, sive etiam clamoribus; cane, quod dicunt, angueque pejus fugiant aërem frigidiorum, fortioraque è pharmaceutico fonte desumpta remedia: & contra quovis modo perspirationis liberiores successum, motum corporis moderatum, subditi temperato, juxta *Diss. HOFFMANNI de Motu optima corporis medicina;* potumque congruum & sufficientem, sibi habeant commendata, quibus rite observatis, multum omnino ipsi ad sanitatem propriam contribuent. Atque hæc sunt de *Infarctu pulmonum* meditationes, quæ hac quidem vice sufficiant. Deo interim Ter optimo maximo meritis persolvimus gratias, quod conatus nostros ad optatum deducere dignatus fuerit finem, Eundemque, ut porro iisdem adesse velit, ardentissimis imploramus precibus.

FINIS.

(0)